



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. II. Existentia, status, & progressus S. Theologiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

brevisiori. Hæc divisio, uti patet, tantum est accidentalis, quia non est secundum diversitatem objecti formalis, sed modi & methodi accidentalis. Theologia controversistica non necessarîo constituit distinctum membrum hujus Theologiae positivæ, vel Scholasticæ in confirmandis fidei dogmatibus, hæresibusque confutandis procedere.

§. II.

Existencia, Status, & Progressus Theologiae.

8. Sacra Theologia, non tantum latè pro qualibet supernaturali cognitione accepta, sed propriè pro doctrina, quæ ex principiis divinitus revelatis, & fide infusè cognitis per discursum conclusiones deducit, cum ipso Mundo in Adamo sumptit exordium, quippe quem omnialiarum scientiarum genere instructum, indecens erat, ad deducendas ex revelatis fidei mysterijs conclusiones rudem esse. Quamò plura deinceps fidei mysteria sequentibus Patriarchis & Prophetis fuerunt revelata, tanto amplius profecit Theologia, utpotè pluribus ad discurrendum principiis instructa; unde in Lege naturæ & Jacobus & Moyse Theologi fuerunt.

9. Jacob quidem, quia, ubi Gen. 25. vulgata habet Jacob *habuisse in tabernaculo*, alij apud Lyranum ex Hebræo legunt *in domo doctrinae*, quod Hebræi intelligunt de Scholis Theologiae, quibus ajunt Jacobum operam dedisse, Doctoribus Sem, Heber, & Melchisedech, ut est apud Corn. à Lap. loc. cit. Moyse autem, quia ut inquit sacer textus Ex. 18. *Venibus ad eum populus inquirere sententiam DEI*, quam certè non semper ex immediata revelatione habere poterat, sed ex sibi revelatis Theologicè deducebat, ac tandem, quia scriptis voluminibus sacris (cum prius nulla nec sacra nec profana scriptura extaret) insinuit scribas & Legis peritos, quorum manus erat legem veterem & sacram doctrinam publicè profiteri.

10. Insuper ex omnibus non tantum Hagiographis & sacris scriptoribus Moyse primatum competere, ipsi quoque Alphabetariz Scriptiois divinitus acceptæ primum Authorem esse, quem propterea Ægyptij sub nomine & schemate Anubis seu Mercurij coluerint, multis gravibus argumentis probat Nieremberg. de Orig. S. Script.

11. Tandem verò cum per adventum Divini Verbi fidei prædicatio esset perficienda, & consummanda etiam ipsa doctrina Theologica ab eodem fuit consecrata, & maximo cum incremento in Apostolos derivata: neque enim solum ipsemet Theologicis argumentationibus Judæos confutavit, veluti cum Matt. 22. Resurrectionem mortuorum ex eo, quòd DEUS se dicat DEUM Abraham, Isaac, & Jacob, & tamen non sit DEUS mortuorum sed vivorum Theologicè inulit: sed etiam Apostolos *hominum prædicatores* constituit, non alià ratione, quam per Theologicorum discursuum retia, quibus fidem illustrarunt, propugnarunt, Scripturas ritè exposuerunt, expolitas erroribus opposuerunt, ut passim est repetitum in Actis, tum in Epistolis Apostolorum.

12. Secuti sunt Apostolorum Discipuli, præcipuè D. Dionysius Areopagita, optimè de Theologia meritis præstantissimis Libris de cæl. & Eccl. Hier. de Div. nom. alisque, quorum vestigijs insisterunt imprimis Clemens Alex. & Origines, quorum uter-

que cum fuerit dialecticè instructissimus, verisimile est, etiam methodo dialecticè in tradendis Theologicis usos fuisse. Invalentibus deinde hæresibus eminerunt in Ecclesia DEI Sanctissimi simul Patres, & summi Theologi tum Græci, Athanasius, Basilius, Gregorius Naz. & Nyssenus, Chryostomus; tum Latini, Hieronymus, Ambrosius, Hilarius, &c. Inter quos potissimum emicat Ecclesie lumen Augustinus, qui & ipse Dialecticæ peritissimus, cum plerasque Theologicas doctrinas & difficultates in suis operibus doctissimè ventilaverit, subsecutus Theologis facem prætulit, & præfert in hodiernum diem.

Posterioribus deinde sæculis à sexto usque ad duodecimum, præcipuè in sacro D. Benedicti Ordine studium S. Theologiae floruit, dum post D. Gregorium M. Leonem II. aliisque, prout ex irrefragabili autoritate historiarum Ecclesiasticarum agnoscit Franc. de Lugo in Prol. n. 14. Hispanicas Scholas S. Isidorus Hispalensis Antistes, Venerabilis Beada Anglicas illustravit, cujus discipulus Alcuinus jussu Caroli M. Parisiensem Academiam, quæ etiamnum hodiè sub Sorbonæ nomine inter alias eminet, instituit: D. tandem Anselmus methodicè ratione & ordine (unde Theologia Scholastica appellatio) quemadmodum inter Græcos D. Damascenus Theologicam doctrinam tradidit, ut videre est ex ipsiusmet libris, & testatur præcit. Franc. de Lugo.

Denique in Universitate Parisiensi Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis ad imitationem D. Damasceni, qui Græcorum PP. dogmata & sententias collectas certis locis distinxerat, Latinorum PP. præsertim D. Augustini dicta & sententias in quatuor Libros (quos ex inde sententiarum libros nominavit, ipse appellatus Magister Sententiarum) certisque titulos, quos distinctiones vocat, digessit, Cujus scriptum deinceps à sæculo 12. varij scriptores præstantissimi ex diversis Religiosis familijs commentarijs Theologicis illustrarunt, eandem methodum in tradenda Theologia secuti. Continet autem primus Liber sententiarum doctrinam de DEO in se, de mysterio Sanctissimæ Trinitatis, & de divinis perfectionibus. Secundus agit de DEO Creatore, & creaturis præsertim rationalibus, earumque motibus erga DEUM, vel contra DEUM. Tertius de DEO Restauratore per Incarnationem, deque gratijs & virtutibus exinde in nos collatis. Quartus de Medicinis, nempe Sacramentis, quibus ad salutem reparamur, ac postremò de glorificatione ad quam pervenimus.

Novam denique & Angelicam methodum invenit D. Thomas Aquinas, quam *Summam*, quasi totius Theologiae medullam appellavit, distinctam in tres præcipuas partes. Prima agit de DEO, tam ut in se est Unus & Trinus, quam ut est causa creatrix ad extra. Secunda agit de DEO ut fine ultimo, illique principijs & actibus, quibus vel ad ipsum accedimus, vel ab ipso recedimus. Quæ tamen propter suam amplitudinem est bipartita, & divisa in primam & secundam secundæ. In. 1. 2. præter finem ultimum considerantur actus humani in communi, & ea omnia quæ ad eorum moralitatem sive in bonum sive in malum concurrunt. In. 2. 2. agitur de illis in speciali secundum diversas virtutes, aut vitia, à quibus procedunt. Tertia pars

pars tractat de DEO ut reparatore hominis lapsi, & sic primò consideratur ipsum Verbum incarnatum, deinde Sacramenta, tanquam instrumenta nostræ justificationis & salutis à Christo instituta. In hæc D. Thomæ Summa Angelica commentanda, explicanda, elaboranda, nunc omnium scholarum, Doctores Theologi occupantur, quæ nostra quoque fuit, & erit deinceps occupatio.

§. III.

Necessitas S. Theologia.

16. Suppono primò, quæstionem procedere de necessitate non absoluta, sed hypothetica & respectiva, quæ aliquid in ordine ad certum finem consequendum dicitur necessarium: Unde sensus est, utrum ex suppositione, quod homo sit elevatus ad consequendum finem vitæ æternæ, præter naturales scientias, etiam sit ipsi necessaria alia scientia derivata ex lumine supernaturali.

Suppono secundò, quæstionem procedere de Theologia propriè accepta, nempe de scholastica, nam si latissimè S. Doctrina vel Theologia accipitur pro quacunque noticia divinorum, etiam includente habitum fidei, sic fide certum est, quod aliqua ejusmodi noticia sit simpliciter necessaria ad salutem: cum fides sit fundamentum nostræ salutis, & sine illa impossibile sit placere DEO.

17. Suppono tertio, hanc propositionem, quod Theologia sit omnibus necessaria accipi posse in sensu collectivo & distributivo. In sensu colectivo accipitur, cum significatur, quod communitas & corpus Ecclesiæ necessariò indigeat S. Theologiâ ad sui defensionem & conservationem. In sensu distributivo, cum significatur, etiam singulis hominibus ad consequendam salutem Theologiam esse necessariam, quod iterum duplici sensu potest accipi: primò, quod sit necessaria in singulis, hoc est, quod singuli homines ad consequendam suam salutem debeant habere talem scientiam. Secundò quod sit necessaria pro singulis, hoc est, quod ad singulorum salutem necesse sit, ut in aliquibus sit talis scientia, quemadmodum dicitur, gubernationem Principis omnibus Reipublicæ membris esse necessariam, quantumvis hæc gubernatio subjectivè sit in solo principe, in subditis autem tantum ministerialiter. Sit igitur his positis.

18. CONCLUSIO I. Theologia scholastica, quoad substantiam est simpliciter necessaria toti Ecclesiæ pro singulis (2.) non tamen in singulis fidelibus.

Probatur prima Pars. Illa scientia est Ecclesiæ DEI simpliciter necessaria, quæ fides saluberrimè gignitur, nutritur, defenditur & roboratur: sed hæc est S. Theologia. Ergo Minor est D. Augustini l. 14. de Trin. c. 1. & ulterius ostenditur primò. Ut in adulto generetur fides, necesse est, ut præcedat judicium credibilitatis, ut ex tr. de fide suppono, sed judicium credibilitatis plerumque per discursum Theologicum, explicationem, prædicationem credendorum generatur: Unde Apostolus Rom. 10. Quomodo credent, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? &c. Ergo.

Secundò. Ecclesiæ DEI est simpliciter necessarium, ut veritates obscuriores, & ab hæreticis op-

pugnatas stabilit atque defendat; ne scilicet in horum nequitia fideles tanquam parvuli succinantes circumferantur omni vento doctrina. Eph. 4. Atqui ad hoc necessaria est S. Theologia, cujus est unum locum S. Ser alio confirmare, unum altero probare. Unde rectè inferi Gammachæus, esse 19. juris divini, ut sint Doctores Theologi in Ecclesia DEI. Prout indicavit Apóst. cit. c. 4. ad Ephes. dicens de Christo. dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas: alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores. Ubi indicat, non tantum esse in Ecclesia DEI necessitatem Pastorum, sed etiam Doctorem. Est igitur S. Theologia necessaria in Ecclesia DEI pro singulis, non tamen in singulis, prout dicit Secunda pars conclusionis, quæ constat experientiâ & ex Apostolo 1. Cor. 12. Quosdam posuit DEUS in Ecclesia, primùm Apostolos, Secundò Prophetas, Tertio Doctores. Et infra: nunquid omnes Doctores? Unde D. Aug. cit. 14. d. Trin. cap. 1. Hæc scientiâ non possent fideles plurimi, quantumvis polleant ipsâ fide.

CONCLUSIO II. Theologia secundum 21. methodum Scholasticam est Ecclesiæ utilis, seu necessaria ad melius esse. Ita communis contra hæreticos. Ratio est: quod hæc nostra methodica Theologia non differat à veteri quoad substantiam, sed tantum superaddat majorem ordinis concinnitatem, & collectionem materiarum antea dissipatarum, atque dialecticam in probando & arguendo efficaciam acclatitatem: sed ex hoc S. Theologia Ecclesiæ evadit utilis. Ergo.

CONCLUSIO III. Theologica scientia 22. est etiam necessaria secundum quid, ad aliquas veritates naturales cognoscendas. S. D. a. 1. Ratio est: quia illa scientia est secundum quid seu ad melius esse necessaria ad veritates naturales cognoscendas, per quam facilius evitatur error circa illas: sed hoc fit per scientiam Theologicam, quia in statu naturæ lapsæ lumen naturale intellectus est valde debilitatum, ut Sap. 9. Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum sine labore. Et difficile estimamus, quæ in terra sunt, &c. Ideoque nisi lumine superiori regatur, hallucinatur in multis, pro ut patet in crassissimis erroribus veterum Sapientum circa æternitatem Mundi, occisionem sui, communitatem uxorum, &c. Tale autem lumen habet fides, & quæ ex fide deducitur, scientia Theologica.

Dices primò. Apostolus Coloss. 2. cavit. Videte, ne quis vos seducat, per Philosophiam, & inanem falsitatem secundum traditionem hominum. Substantiam hæretici: sed Theologia Scholastica est inventum humanum procedens per rationes philosophicas & sophisticas. Ergo. Secundò. Si Theologia esset ad salutem simpliciter necessaria, esset omnibus salvandis necessaria, sed consequens est absurdum & falsum; cum multi simplices & rudes iolius fidei illustratione salventur.

R. ad 1. neg. Min. D. quoque Paulus loc. cit. locutus est de prophana ethnicorum philosophia, contradicente mysterijs fidei. Ad. 2. dist. Mai. esset omnibus salvandis, & in omnibus necessaria, nego, pro omnibus, & in aliquibus, concedo. Quod non obstat, quin multi simplices sine Theologia salventur,